

XXVI. *Iobannis Henrici HOFFMANNI* a) *Ehrens Kleinod der Herzoge von Braunschweig und Lüneburg*; b) *Rerum Hildesensium libri XV.* c) *Rerum Hoiensium libri III.* d) *Monasteriologia MSC.*

*Hunc auctorem perfecti scriptoris elogio extollit Meibomius. Spenerus etiam in Heraldicis Brunsvicensia ei debet; Archiotam is egit Ducum Brunsvicensium; Unde sigilla, diplomata, iura quaeque ingenti labore dicitur congeffisse. In quo rerum conatu ante triginta circiter annos fatis praeuentus est. Opus lucubratum heredes eius Duci Hannoverano vendiderunt, in cuius scriniis etiamnum adseruatur.*

MAVSOLEA Principum nostrorum diuersissima sunt, *GVELFORVM Altorfi, Steingnadeni: BRVNSVICENSIVM Koenigsluterae, Brunsvici, Calenbergae, Grubenhagenae, Cellis, Hannoverae, Guelferbyti, Goettingae, alibi.*

*Ita enim tumuli eorum distinguendi locis suis fuerunt, qui in lineas diuersas iuerant.*

ARCHIVA ipsa toties diuisa sunt, vetera maximam partem in turbis domesticis interierunt. Potissima forte huius familiae monumenta in *Brunsvicensis ac Goslariae* ciuitatum scriniis reperiuntur.

*Id praecipui habent Duces nostri, quod in rebus gestis maiorum suorum archiui instar sint rerum Germanicarum scriptores; Cum in omnibus imperii negotiis illi potissimam scenam occupauerint. Scriptori superius laudato, quod nunquam in alio ullo sperandum, omnia scriniorum repagula aperta sunt; Cui viro, de Principibus suis ac literaria republica meritissimo, pro indefessis laboribus longam senectutem, ea, qua ipsi addicti sumus, pietate, a Deo precamur.*



BIBLIO.